

rurfus & Fracancianus (g) calidam & siccam intemperiem reprehendunt. Fracastorii (h) autem memorabilia verba sunt, ex phlegmate crasso, sordido & acri in lentore multo obsepto sepultoque luem hanc deducentis. Fallopius (i) totius substantiæ morbum, ut & Rudius, (k) Fernelius (l) & Horstius (m) appellarunt. Et prout Hepati sanguificationis munus adscribebant, ita quoque Luis Venereæ ἰδίον δεικνύον hepar esse Massa, (n) Quercetanus, Fallopius, (o) Rudius, Varandæus, & Horstius (p) strenue contendunt.

Inter Recentiores Scriptores Morthon, (q) sicut alios omnes, ita morbum Gallicum à Spirituum depravatione deducit. Cui Wirdig (r) aperte consentit, ex spirituofo & igneo sale (ita enim loquitur) derivandum, ratus. A quibus non admodum abhorret Abellius, (s) quando luem describit per insignem succi nervei & lymphatici corruptelam quoad crasin & motum. Paracelsus (t) autem, quem prius nominare debuissem, Luis Venereæ mercuriale statuit principium, non excluso tamen salino. At Sydenham, humorem inflammationis participem esse, dicit. Hoffmannus autem (u) graphice causam in miasmate impuro ponit, subtili & caustico, quod partim causticitate partim putredinoso motu partes spirituosas fluidas & solidas, tarde tamen & successive inficiat & corrumpat. Huc itaque & Veteres respexisse, & convenire in eo Recentiores video, quos & propterea sequor, Borrichium (x) puta, de le Boë Sylvium, (y) Dolæum & Ettmüllerum, quod vera Luis Venereæ natura in acido præternaturali, sui quidem generis, vergente tamen ad corrosivum, versetur, instar fermenti lente sese multiplicante, sensimque & functiones corporis & tandem cor-

C

pus

(g) de M. Gall. cap. 2. (h) cap. 12. (i) cap. 20. (k) lib. 5. c. 7.  
 (l) ibid. (m) Cent. Probl. decad. 10. qu. 3. (n) cap. 3. (o)  
 cap. 13. (p) d. l. & Op. Med. Tr. 2. lib. 7. obs. 1. (q) Pyretolog.  
 p. 27. (r) Proæm. in Med. Spir. n. 7. & lib. 1. c. 28. §. 25.  
 (s) Leib. Med. der Stud. lib. 2. p. 1. c. 4. (t) d. generat. M.  
 Gall. lib. 2. paramyr. c. 4. (u) Fund. Med. l. 2. c. 4. §. 29.  
 (x) d. us. Pl. Indig. p. 68. (y) d. l. §. 33.